

139

137

143

133

148

128

188

088

238

038

Ende

Anfang

128

tribuit, post inundationem solutis cumulis redit in alveum suum, ad mare currens. Si autem quis solveret cumulos ante tempus vel ostia obstrueret ad suum placitum, caristiam induceret; ideo imperator legem statuit, ut habetur in Codice L. IX.: De Nili aggeribus non rumpendis, quod, quicumque hujusmodi aggeres Nili rumperet, in ipso loco flammis exuri debet. Et quamvis unus annus fertilior et uberior sit alio, numquam tamen penitus sterilis redditur Aegyptus, sed semper, si non abundantem tamen sufficientem fructum reddit terra beneficio indesinentis Nili, qui semper fluit, quamvis non semper aequaliter effluat et inundet, nam inundatio ejus fit a inferiori regioni et a superiori: ab inferiori quidem, dum ostia cumulis arenae clauduntur et flatu aquilonari aquae sursum pelluntur, ut dictum est; a superiori autem regione augetur Nilus ab aestivis imbris, quando superior Aethiopia in ultimis montibus diluitur, imbris autem cessantibus cessat et ipsa inundatio. Quia autem ventorum fatus et imbrum casus non aequaliter singulis annis fiunt, sic nec Nili inundatio aequalis semper est. Si autem omnino non inundaret, adhuc homines arte possent per fossaturas aquas per agros dividere, sicut in hortos per totum annum transmittuntur et ita terra illa semper fert fructus. Inundatio tamen mirabilis supportat homines a maximis laboribus. Occulta autem inundationis hujusmodi causa multos dubitare tum philosophos tum historicos ac varia sentire compulit et diversas assignaverunt rationes diversi, de quibus diserte loquitur Diodorus, antiquissimus historiographus, Libr. 1. cap. V. fol. 116.

Sicut de origine Nili propter loci inscitiam diversi diversa dicunt, sic et de causis incrementi ejus diversa est valde prudenter positio. Eupolemus quidam philosophus, qui Moysi facta in Aegypto narrat et Aegypti plagas recitat, dicit, quod ante Moysem Nilus aequalis semper erat, sed cum Pharaeo populum Dei nollet dimittere, percussit Moyses flumen et tantum abundare coepit, ut Aegyptus paene mergeretur. Et rursum orante Moyse decurrit aqua et ab eo tempore usque nunc, quando illud tempus venit, quo Moyses aquas percussit, excrescit. Hoc in Euseb. Lib. IX. cap. 4. Thales, unus de septem sapientibus, tradit, spirantibus ethesiis Nili cursum a mari reprimi, eoque aquis excrescentibus Aegypti, quae plana est et humilis regio, inundationem sequi. Haec causa ut falsa argui potest ex eo, quod plantibus ethesiis

